CARMEN
DE FIGURIS VEL SCHEMATIBUS QUA SIT AETATE CONSCRIPTUM.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM SCRIPSIT

ET

PRO SUMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBUS


OBTINENDIS

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM

ORDINI

IN UNIVERSITATE LITTERARUM IENENSI

PROPOSUIT



RICHARDUS SCHMIDT
Gymnasii Luccaviensis Praeceptor.

IENAE, 1874.
TYPIS RATII.

In bibliothecae a schola diplomatica Parisina (bibliothèque de l'école des chartes) editae fasciculo primo, qui anno hujus saeculi quadragesimo in publicum emissus est, Julius Quicheratius, scholae illius discipulus, carmen incerti auctoris latinum a se in codice miscellaneo bibliothecae id temporis regiae inventum de figuris vel schematibus publici juris fecit. Codicem a. 750 p. Chr. n. ab homine Italico litteris Langobardicis scriptum esse Mommsenius ostendit [Zeitschr. f. d. Alterthumsw. 1845, Num. 11].

Paullo post Schneidewinus et Sauppius opus adhuc imperfectum suscipiens pro sua uterque parte ad certum quendam finem perduxit, hic sub finem epistulae criticae a. 1841 ad Godofredum Hermannum datae [pagg. 152—170], ille in libello solum hoc carmen continenti, cujus titulo subjectum est: „editionem in Germania principem curavit F. G. Schneidewin" Gottingae 1841, quem librum quod mihi non contigit acquirere valde doleo.

Emendandi illustrandique causa tractatum est deinceps carmen nostrum a viris doctissimis, ut puta Ahrens [Zeitschr. f. d. Alterthumsw. 1843, Num. 20—22], Bergk et Mommsen [ibid. 1845, Num. 11], Hertz [ibid. Num 50], Haase [Hallische Allgem. Literaturzeit. 1844, Num. 215—218], Froehlich [Münchener gelehrte Anzeigen 1844, Num. 72].

Deinde in eadem bibliotheca Parisina inventum est apographum a Sirmondo tum temporis factum, quo codex etiam integer erat, ex quo Ludovicus Delisle [Bibliothèque de l'éc. des chartes 4e Série, Tom. III, p. 161] primos tres versus publicavit nec non vv. 33 et 93, qui in codice a Quicheratio adhibito desiderabantur. Magno emolumento erat carmini nostro dissertatio inauguralis a Gustavo Dzialas scripta, quae inscribitur „Quaestiones Rutilianae", a. 1860 Vratislaviae edita, qua demonstrare studuit vir doctus versificatorem nostrum in priore carminis sui parte, quae est a versu primo inde usque ad v. 150, libris Rutilianis jam truncatis, quales hodie legimus, usum esse.

Denique Halmius quaecumque illi assecuti erant in unum complexus nec non complura de suo addens carmen in „Rhetorum Latinorum Minorum" editione denuo excutiendum curavit, ita ut nunc quidem perpaucis exceptis locis, quae adhuc certa medicina carent, paene absolutum sit opus. Sed quo tempore scriptum esset carmen, valde dissentiebant homines docti. Quum primo obtutu pateat et in rebus metricis et in dictionibus a classicorum quos dicunt scriptorum usu nimis alienis adhibendis antiquissimorum utique normam secutum esse auctorem, deinde, quum haud paucae figurae aut non inveniantur nisi apud versificatorem nostrum aut ei cum Rutilio Lupo solo communes sint, quem Gorgiae Atheniensis de eodem materia librum compilasse traditum est, in dubio videbatur relictum esse, utrum ille temporibus Varronis et Lucretii quam proxime admovendus sit, ita ut Gorgiae ipsius et, quod Sauppius quidem probabiliter statuere studet, Caecilii Calactini libris, qui injuria temporum perditi aetatem non tulerunt, usus esse credatur, an potius Frontoni vel Gellio aequalis aut post illos aetatem degisse putetur, qua aetate nimium vetustissimum quemque imitandi studium, imprimis Frontonis auctoritate auctum, floruisse constat. Quam opinionem Haasius et cum eo Dzialas, Bergk, Halmius sectantur, contrariam defendentibus Quicheratio, Schneidewino,

Sauppio, ex parte Ahrensio. E quibus Quicheratius anno u. c. 720 compositum esse carmen statuens errare videbatur etiam Sauppio, qui haud multo post Vergilii mortem [735 u. c.] et Aeneidem a L. Vario et Plotio Tucca editam factos esse mavult hos versus. Sed ad haec infra redeundum erit, ubi diligentius omnia inquisiverimus, quae ad tempus quo versificator vixerit definiendum pertinere videntur.

Primus igitur locus disserendi erit de figuris quas tractaverit anonymus noster, utrum in iis describendis Rutilii et Alexandri Numenii exaraverit libros, an potius, aetate illos antecedens, ex iisdem fontibus hausisse videatur, ex quibus, ut Sauppii verbis utar, illi rivulos suos derivaverunt, dico Gorgiam Atheniensem et, si Sauppio credimus, Caecilium Calactinum. Altera quaestio erit de legibus quas in versibus pangendis et in rebus prosodiacis observarit versificator. Tertiae denique partis erit indagare quae verba ac dictiones apud eum inveniantur talia, ut carmini nimiae antiquitatis imaginem imprimant.

Sed ut aggrediamur rem ipsam, non est hujus dissertationis enumerare omnes quos de figuris scripsisse aut ex scriptis quae adhuc legimus videmus aut quos antiquitus traditum est de hac artis rhetoricae parte libros edidisse. Postquam Sauppius paucis ordinem illorum composuit, uberius hanc rem tractavit G. Dzialas in dissertationis supra memoratae prooemio, ita ut, ubicunque fors obtulerit, liceat quae illi docuerunt mea facere. Porro de figuris ipsis quae leguntur apud versificatorem, de iis saltem quas prior carminis pars complectitur, quum jam accuratissime disputaverit vir doctus Dzialas, nihil aliud mihi reliquit, quam ut, quaecumque ad nos pertinere viderentur, ex libello ejus depromerem, omissis quidem, ne acta agam, quae ad sententiam corroborandam ille attulit testimoniis.

Facile duae carminis nostri partes discerni possunt, quarum prior constat vv 13—150 et tribus primis prooemii versibus, altera vv. 151—186 et prooemii vv. 4—12, nam etiam de-

finitiones κόμματος, κώλου, περιόδου ex Alexandri Numenii imitatione fluxisse videntur, praesertim quum in v. 6 idem exemplum, quo utitur Alexander, inveniatur — cfr. Alex. Num. Walz. VIII, p. 446. Sed prior pars maxime eo ab altera differt, quod figurae ex ordine litterarum dispositae sunt, nisi quod turbant hunc ordinem quem dicunt alphabeticum tres sese excipientes figurae ἐπαναφορᾶς v. 34, ἐπιφορᾶς v. 37, κοινότητος v. 40 et v. 52 figura πολυσυνδέτου. Nam in v. 94 jure Sauppius e codicis scriptura εκκαλισις: μετάκλισις fecisse videtur. Sed viro docto Dzialas astipulandum esse censeo versus 34—42 post v. 63 transponi jubenti, rejecta Schneidewini conjectura, qui ordinis servandi causa pro „ἐπαναφορά" mavult scribere „ἀναφορά", quod nomen solus Phoebammo [Walz. VIII p. 449] huic figurae imponit, addito quidem nomine ἐπαναφορᾶς, sic enim omnes alii scriptores hoc appellant schema.

Sed κοινότης non potest divelli a praecedentibus, quoniam arctissime tres figurae cohaerent et apud Rutilium quoque eodem ordine tractantur.

Idem cadit in πολυσύνδετον v. 52 ante διαλελυμένον positum, nam etiam hae figurae nullo modo possunt secerni. Figurae, quae hac in parte describuntur, fere omnes inveniuntur apud Rutilium. Quae non inveniuntur, sunt hae: ἀνθυποφορά v. 28, ἀπόκρισις v. 31, ἐπαναφορά v. 34, ἀναδίπλωσις v. 43, διῃρημένον v. 58, διέξοδος v. 61, ἐπιφωνούμενον v. 73, ἐπίζευξις v. 76, ἐπεκφώνησις v. 79, μετάφρασις v. 91, μετάκλισις v. 94, πρότασις v. 133, πάντα πρὸς πάντα v. 136, τρίκωλον v. 145.

Quarum e numero nusquam apud alios tractantur: ἀπόκρισις, μετάφρασις, μετάκλισις, genus quoddam παρονομασίας, πρότασις, πάντα πρὸς πάντα, plerumque ἐπάνοδος appellatur a ceteris versificatoris figura διῃρημένον, sed ἐπεκφώνησιν figuram esse negat Quint. IX, 2, 26. Accedit quod tres figurae, inter quas fere nihil discriminis intercedit, describuntur: ἀναδίπλωσις v. 34, ἐπανάληψις v. 67, ἐπίζευξις v. 76, quae quidem figurae

non distinguuntur nisi ab auctoribus Latinis recentioribus veluti Charisio lib. IV, p. 281 Keil., Diomede lib. II, ib. p. 445; Isidoro Hispal. lib. I, 35, § 7, 10, 11. E ceteris hujus partis figuris tantum apud Rutilium et anonymum nostrum reperiuntur: Rutil. II, 7 χαρακτηρισμός = v. 148 depictio, Rut. II, 8 βραχυλογία = v. 46 brevitas, Rut. II, 18 παρρησία = v. 130 irreticentia, quas Quintil. IX, 3, 99 nullas esse figuras censet, praeterea Rut. II, 12 παρόμοιον = v. 127 adsimile.

Porro in aliis figuris explicandis, quibus plerumque diversa nomina imponuntur a ceteris scriptoribus, arctissime se applicavit Rutilii figurarum explanationi versificator, ita ut is tantum eodem, quo ille, nomine utatur. Sed satis est breviter enumerasse eas, ut inutili opera supersedeam, quod jam docuit Dzialas, repetendi. Accidit id in figuris his: προσαπόδοσις v. 112, ἀλλοίωσις v. 19, ἐπιφορά v. 37, κοινότης v. 40, quae ab omnibus aliis dicitur συμπλοκή, πολυσύνδετον v. 52, ἐπιπλοκή v. 64, quae apud omnes κλῖμαξ dicitur, ἐπανάληψις v. 67, μερισμός v. 85, παραδιαστολή v. 115, παρομολογία v. 121. Porro nusquam nisi apud Rutilium et versificatorem discernuntur ἀνάκλασις v. 13 et διαφορά v. 49. Praeterea saepissime Rutilianis exemplis utitur anonymus, veluti in versibus 14, 17, 26, 47, 49, 68, 83, 86, 89, 103, 110, 116, 143, 148. Sed dixerit fortasse quispiam, versificatorem figuras, quae non inveniuntur apud Rutilium, e Gorgia ipso desumpsisse, sed id hanc ob rem non credibile videtur, quod Quintilianus nusquam eas commemorat, quamvis inusitatissimae essent. Quam ob rem recte putabimus eas posteriore demum tempore ortas et a versificatore ex aliis decerptas esse auctoribus, quorum libri injuria temporum sint perditi.

Omissae sunt ex Rutilianis figuris μετάνοια I, 16; ἀναγκαῖον I, 20; ἠθοποιΐα I, 21; δικαιολογία II, 3; προσωποποιΐα II, 6; ἀπορία II, 10; παρασιώπησις II, 11; τάξις II, 20. Et haec quidem schemata ideo non recepisse videtur versificator, quod ei sententiarum figurae esse videbantur, praesertim quum

etiam ab aliis scriptoribus plerumque adscriberentur figuris sensus. Etenim elocutionis tantum schemata tractare voluisse versificatorem et ex primo carminis versu: „Collibitum est nobis, in lexi schemata quae sunt... perscribere" apparet et figurae ipsae demonstrant. Sauppius quidem sententiarum figuras esse vult: *αἰτιολογίαν* v. 26, *μετάβασιν* v. 87, *παρομολογίαν* v. 121, *πρόληψιν* v. 124, *παρρησίαν* v. 130, *πρότασιν* v. 133. Sed etiam has inter sermonis figuras habuit incertus auctor, Rutilii commotus auctoritate, quem figuras praedictas excepto schemate *προτάσεως*, quod non extat apud eum, verborum judicasse e locis Quintiliani, ubi Rutilii figurae persaepe laudantur, patet. Atque etiam *πρότασιν* verborum adnumerasse figuris versificatorem, exemplum, quo explanatur schema, ostendit — cfr. Dzialas l. c. p. 31.

Quod non mirum videri potest reputantibus persaepe vel optimos rhetores, cuinam generi adscribendae sint hae illae figurae, dubitasse, quo fit ut difficillima sit quaestio, quid intercedat inter figuras verborum et sententiarum, ut taceam de tropis et figuris grammaticis — de qua re videsis Volkmann Hermagoras od. Elemente der Rhetorik p. 268, sqq.

Sed prioris partis figuris omissis altera in parte ad finem usque et in prooemio non tam alius cujusdam, quam Alexandri Numenii ipsius rationem habuisse versificatorem demonstrare conabimur. Quamvis Sauppio concedendum sit, quae Quintilianus IX, 3, § 46 de pleonasmo, § 97 de periphrasi, § 38 de metabole, § 98 de hyperbato Caecilium statuisse refert, optime convenire iis, quae versificatoris vv. 178, 181, 169, 160 leguntur, neque minus quae Tiberius Walzii VIII *μζ'* pag. 573 de alloeosi eundem sensisse testatur cum v. 172, tamen minime consentiunt cum auctore nostro, quae idem Tiberius quinque aliis locis — Walzii VIII *μγ'* pag. 571, *μδ'* p. 572, *με'* p. 573, *μς'* p. 573, *μη'* p. 576 — e Caecilii libro affert exempla. Accedit quod de tempore quo Caecilius librum suum in lucem ediderit non satis constat. Sed aperte compilavit versificator Alexandri Numenii

librum. Eaedem, quae apud illum figurae inveniuntur, excepto solo ἀντιστροφῆς schemate, tractantur a versificatore eodemque ordine, sed ita ut inversa sit series, sese excipiunt. Non est credibile concentum ordinis et exemplorum — de quibus videsis locos similes a Sauppio textui subjectos — tantum esse posse, si versificator ex eodem fonte atque Alexander nec potius ex eo ipso hausisset. Neque quidquam est cur dubitemus, quin vere Alexander Numenius affirmaverit — cfr. Alex. Num. Walzii VIII, p. 421 — se sententiarum et elocutionis figuris distinctis utriusque speciei, quotquot exstitissent, collegisse. Quod si credimus, non est verisimile Alexandrum, quamvis Caecilii maxime vestigia premeret, se quasi in ejus servitutem addixisse, ut non possit explicari, quomodo tam mirabilis concentus figurarum non minus quam exemplorum fieri potuerit duorum imitatorum. Ceterum satis ampla auctoritate floruisse apud posteros Alexandrum Numenium etiam inde apparet, quod tertii saeculi initio Aquila Romanus ejus potissimum vestigiis insistebat, qua de causa in veteribus editionibus inscriptioni libri adjecta est nota „Ex Alexandro Numenio“.

Sed non displicet opinio ab Ahrensio prolata duas carminis partes a diversis auctoribus profectas esse. Revera notabile est a prioris partis consuetudine descriptionem figurae uno versu absolvendi, exempla duobus insequentibus addendi, a qua semel non saepius descivit v. 136, aberratum esse altera parte, quippe in qua hic mos quater tantum servatus, neglectus sit octiens. Qua re asperitatem augeri carminis non infitias ibimus. Porro in hac altera parte figurae tractantur, quae jam antea alio sub nomine describebantur. προϋπάντησις vel praeoccursio [v. 154] idem valet quod προσαπόδοσις vel subnexio [v. 112]. Porro μεταβολὴ vel variatio [v. 168] omnino eadem est figura, quae πολύπτωτον vel multiclinatum [v. 105] et insuper Latinum nomen variationis jam habemus v. 90, ibi aliud significans. Eodem modo etiam ἀλλοιώσεως [v. 172] nomen Graecum jam v. 20 figurae aliud significanti inditum erat. Denique figuram ἐπιτιμή-

σεως vel correctionis [v. 151] jam tractatam fuisse in priore parte ostendit exemplum v. 69 prolatum — excidisse enim tres versus ex ipso exemplo, quod nihil attinet ad ἐπαναλήψεως figuram, elucet — fortasse sub ἐπανορθώσεως nomine, ut alii scriptores hoc nominant schema.

Quas ob causas facile est ad credendum ulteriorem carminis partem simul cum prooemio adjectam esse ab alio auctore. Et quidem huc inclino, ut putem id factum esse a discipulo quodam auctoris ejus, qui versus antecedentes confecit. Is, qua erat imbecillitate animi, non dubitavit eandem figuram alio sub nomine repetere vel duabus figuris diversis idem dare nomen, praesertim quum persaepe neque definitiones neque certa nomina constarent figurarum.

Hoc si accipias, facillime explicari poterit qui factum sit, ut tam congruentes sint duae partes et in arte metrica et in dictionibus inusitatis adhibitis. Inter exempla ad figuras illustrandas a versificatore adscita quod sunt nonnulla ex Ennii et Lucretii operibus petita, ut taceam de Cicerone, Horatio, Vergilio, hoc vel ipsum magis scriptorem aetate inferiorem indicare videtur. Et in universum non ignoramus, quanto studio a Frontone inde, effetis jam temporibus et adempta novi quidquam procreandi facultate, excerpserint scriptores maxime pedestres, ineffrenato antiquitatis amore ducti, vel antiquissimorum opera, et patet exempli causa e Gellii collectaneis et quod praecipue ad nos attinet, ex Aquilae Romani nec non Julii Rufiniani figurarum collectionibus, quorum imprimis hic passim Ennianis Lucilianis aliorum antiquorum exemplis illustrat figuras. Idem etiam eo insignis est, quod vel ex aliis fontibus nunc deperditis hausit vel ipse novas figuras invenit, ita ut etiam hac re comparare liceat eum cum versificatore nostro, quem et ipsum figuras ab aliis vel omissas vel earum numero non adscriptas laudasse supra vidimus.

Jam tempus est transire ad quaestionem alteram, quas leges versificator noster — nam de uno modo auctore liceat di-

cere, ne molesta fiat distinctio observarit in versibus pangendis atque in rebus prosodiacis. Rei natura fert auctorem in versibus suis, quamvis voluisset, non adsequi potuisse perfectam illam artem Vergiliorum vel Ovidiorum. In animo quidem habuit opus haud ita magnum conscribere usui discipulorum quod ediscerent destinatum, quo facilius, adminiculo tali in versus redacto nisi, memoria tenerent quae illi videbantur maxime praecipuae figurarum orationis. Quare quamquam multa ab arte bonorum poëtarum aliena facile operis materiae et necessitati verba technica versibus includendi, ut quae plerumque longioris essent spatii, ignoscentur, tamen in universum adeo incultum omnique arte destitutum est carmen, de quo agitur, vix ut ullo tempore litterarum Romanarum simile opus vel a pessimo poëta invenias conscriptum.

Sed ut accingamur ad rem propositam persequendam, primum quod ad caesuras attinet, praemonendum est omnia quotquot inveniuntur genera incisionum admisisse illum. Quum apud Graecos qui metro heroico carmina composuerunt paene solae legitimae incisiones fuissent penthemimeris et eadem fere auctoritate tertia trochaica, praesertim a Nonno inde ejusque asseclis, apud Latinos pari nobilitate qua apud illos tertia trochaica, viguit semiseptenaria, quod contra usus muliebris distinctionis fere nullus vel nulli pàr fuit. Nec parvi momenti esse videtur, cur seriori aetati adscribendum esse versificatorem putem, quod incisiones semiquinarias fere aequant semiseptenariae. Neque raro nimis languent versus multiplicatis distinctionibus, veluti in v. 20.

Excitat hunc | cantus | galli ||, te bucina torva. Quo in versu, quum legitima sit caesura hephthemimeris, subsidiariis insuper trithemimeri et penthemimeri dirimuntur pedes. Similis inelegantia offendit viginti plus versibus, ut vv. 25, 44, 50, 59 aliis multis. Incisione tertia trochaica distinguuntur versus novem. At omnium incultissimi videntur versus 6 et 139.

Arcadiam petis, immensum petis, haud tribuam istud.

Est conductio conque gregatio, cum adcumulo res,

caesura bucolica distincti simul post secundum dactylum verbo finito. Sed fortasse, ut offensionem post quartum dactylum incidendi fugiamus non praecedente distinctione semiquinaria, recte arbitrabimur post „im" priorem versus ordinem terminatum esse per tmesin quandam, ut in Horatiano illo

Non quivis videt im||modulata poëmata judex

— cfr. Luc. Müller de re metr. poët. Lat. pag. 369. In altero versu fortasse recte credemus post tertium trochaeum „conque" metrum dividi. Nulla enim unquam fuit apud Romanos post quartum vel dactylum vel trochaeum incisio, quae per se stare posset. — L. Müller l. c. p. 190 sqq.

Caesuris missis jam alia insolentia, ad quam nunc accedimus, offendit, quam quo quis arte perfectior fuit poëta, eo acriore odio fugisse satis constat. Scilicet duodeciens non minus voce monosyllaba finivit hexametrum versifex praecedente polysyllabo, nam aeque monosyllabo anteeunte, cujus speciei quindecim admissa sunt exempla, minus offensionis habent numeri.

Et hic quidem addere non ineptum videtur, quo diutius carmen, de quo agimus, manibus versaverim, eo firmiorem mihi sententiam exstitisse, non tam inscitia quadam vel necessitate coactum versificatorem talibus ludibriis — nam et alia ejusmodi nobis occurrent haud pauca — gavisum esse, sed dedita opera id potius egisse, ut versus ab usitata arte alienos pangeret et verbis insolitis placitisque metricis audientium aures percutientibus quasi oneraret, quo facilius in puerorum animis penitus inhaerescerent. Toto in carmine fere nullus extat versus quin sit hac illa insolentia vel dictionum vel prosodiae vel artis metricae insignis, sed non paucos invenimus scatentes quasi omnis generis licentiis. Affero exempli gratia v. 65.

Cum sensi, dixi; cum dixem, deinde suäsi

vel si mavis v. 165

Ut dictust Ajax non infortissimu, Grajûm.

Sed a diverticulo ut in viam redeat oratio, norma est ab omnibus pariter observata dactylicis, monosyllabo verbo concludi versum Latinum nisi praecedente orationis parte aeque monosyllaba non licere, praeterquam quod interdum id egerunt poëtae, ut artificio improviso aut gravitatem aut ridiculum adderent numeris — cfr. L. Müller l. c. pag. 219.

Quorum neutrum quum in carmen nostrum cadere possit, recte putabimus perversa insolita quaeque imitandi cupidine id factum esse ab homine omnis artis rudi. Quae quum ita sint, mirum videri potest, quod ne unum quidem spondei quinta sede collocati exemplum invenitur. Eo saepius finiti ordinis leges violavit vocabulo pentasyllabo claudens versum, quod quanto opere displicuerit dactylicis poëtis, anxia eorum cautione docemur — cfr. L. Müller p. 211. Sed poëta noster in tanta versuum paucitate octiens non minus artem migravit — vv. 27, 66, 85, 101, 137, 142, 154, 168 — sesquipedalia verba, ut cum Horatio loquar, in numeri fine collocans.

Jam non mirabimur quod versifex, quem inusitatissimas quasque licentias magno studio amplecti vidimus, etiam alibi legitimas metri heroici normas vel minimi fecerit. Non magni momenti est in versificatore adeo ineleganti, quod viciens plus secundo pede verba dactylica admisit; habent enim plerumque veniam paratam a vocibus technicis. Sed pessime se habet ab omni parte v. 127 post tertium spondeum incisus

Adsimile, a momento || cum simile hoc facio illi,

facile ut adducamur, ut cum Froehlichio legamus

Adsimile est, cum agnomento || simile hoc facio illi.

Post Ennium enim ac Lucilium qui aliquando, pubescentis artis excusatione tuti, admisere in tertiam sedem vocem dactylicam spondiacamve, exceptis binis Lucretii et Horatii exemplis, nullum aliud prostat apud classicos certe auctores — cfr. L. Müller p. 217.

Jam videamus, quas regulas, vocalibus inter se vel in mediis verbis vel in fine vocabulorum concurrentibus, observarit vel potius migrarit versificator. Nam et hic non possumus non obtinere rudissimum et omni arte destitutum hominem versus, de quibus agitur, composuisse, qualem statim post Catulli Vergiliique aetatem vixisse paene incredibile est. Immodice enim licentia in fine verborum vocales elidendi arrepta paene nullus invenitur versus quin adhibita sit elisio, quod contra permulti compluribus ejectis vocalibus inelegantissime et durissime auribus sonant, veluti v. 24

Histrio tu |, spectator ego; at || que ego sibilo, tu exis.

Sed piget omnia hujusmodi exempla nominatim afferre. Satis est dixisse omnium insolentiarum reperiri exempla, quas, quo quis fuit arte perfectior, fugerunt boni poëtae. Ut enim praetermittam et voces jambicas et, quod plus habet offensionis, spondiacas haud ita raro elidi, v. 128 passus est absorberi longam vocis creticae „libera“ finalem sequente brevi „in“, quo molesto synhaeresis genere fere omnes abstinuere dactylici — cfr. L. Müller p. 286.

Vocalium i vel u in consonam duratarum non prostat certum exemplum, quoniam haud dubium videtur, quin cum Quicheratio legendum sit v. 133 „propositum id“ pro illo quod codex manuscriptus praebet „propositio“.

Sed contrariam dihaeresis licentiam sibi indulgens incertus noster in v. 65 fine vocem „suäsi“ diductis extulit syllabis. Quod in verbis quae „su“ habent, qualia sunt „suavis suadeo suesco“ ultimorum saeculorum scriptoribus placuisse, docet L. Müller p. 263 init.

Synizesim in medio verbo quae evenit bis adhibuit versificator, puta v. 154 „praeoccursio“ ionici a majore vice positum et „deinde“ bis [vv. 65 et 133.]

Sed hoc alterum genus synizesis quum apud omnes omnium temporum scriptores pariter inveniatur, ita ut paene legitimum sit vocem „deinde“ cum similibus „dein deinceps“, multorarius illud „dehinc“, coalescentibus pronuntiare vocalibus, etiam alterius exempli similia aliquotiens occurrunt; trisyllabum enim sonat apud Catullum „praeoptarit“ [64, 120], quod praeierant Plautus ac Terentius „praeoptavisti“ et „praeoptares“ formarum primas syllabas cogentes — cfr. L. Müller p. 273; Corssen ausspr., vokal. etc. II[1], p. 173.

Hiatus semel admissus est in v. 113 fine „nos simplicitate, tu arte“, postquam sanavit L. Muellerus v. 40 in codice manuscripto hiatum praebentem, pro illo „communio ut sit“ legendum esse jubens „communio uti sit“ — de re metr. p. 318.

Nec tmesis admissae exempla deesse, consentaneum videtur tam duro poëtae. Ter illi placuit voces compositas hoc dihaeresis genere dirimere v. 10 „peri quam dicunt odon“, v. 139 „conductio conque gregatio“, v. 181 „circum illa locutio“. Tamen dicendum est non carere excusatione has formas, quoniam in iis vocabulis evenerunt, quae aliter metro dactylico ineptae essent.

Praeterea primum et tertium exemplum etiam hac venia tuta sunt, quod fit tmesis in vocibus quarum compositionis pars prior praepositione disyllaba constat, alterum, quod verbo dihaeresi disjecto similis condicionis et compositionis praemittitur vox integra. Ceterum tmesin quum ab Ennio et Lucilio satis frequenter, a Vergilio ejusque assectatoribus magis modice adhibita esset, non prorsus e poëtarum usu evanuisse docet testimoniis allatis L. Müller p. 368.

Sed quid dicemus, Schneidewinum in versifice nostro etiam alliterationis octo non minus exempla se deprehendisse conten-

dere. Vult ille annominationi attribuenda esse haec exempla: v. 45 fero ferro, ita enim latine vertitur Homericum illud „αἴθωνι σιδήρῳ", v. 88 At remeatio fit, cum rursus redigo me ad rem, v. 95 a primo puerum, v. 128 ferme fit, v. 138 victos virtute, v. 146 — 147 corpore — corde, v. 153 amor — ardor, v. 163 laedit leges, quibus licet addi v. 32 dabit damnum, v. 139 conductio conque gregatio. Sed videamus de alliteratione quam dicunt recentiores. His figuris orationis quum plurimum utantur pro ornamento in carminibus rudes populi — in mentem praecipue venit Germanorum — quo magis ars metrica corroboratur cultique eveniunt numeri, abstinuerunt iis poëtae boni.

Quod idem videmus in litteris Romanis factum esse. Etenim ad Catulli usque tempora compositis dactylicorum ac scaenicorum operibus non minus quam pedestribus libris aut inscriptionibus pleraque abundant assonantiis, quod ante omnia notum est de Ennio Lucretioque. At post Catullum qui vixere praeter Venantii ludibria ullum admisisse similem versum Enniani illius decantati

O Tite tute Tati tibi tanta tyranne tulisti

nusquam reperias. Quae postea evenerunt hujus licentiae metricae exempla, tres ferme sub condiciones cadunt, scilicet aut in formulis dictionum aut in cumulandis verbis sensus comparis sive consimilis aut per paronomasiam evenientia. Quae in carmine nostro exstant, a caeco casu, non a consilio repetenda sunt. Pleraque enim cadunt sub primam condicionen modo propositam et similia omnes admisere poëtae, quod probavit amplissimis collectis testimoniis L. Müller l. c. p. 452 sqq.

Jam ad res prosodiacas progressuris maximum nobis ad sententiam nostram corroborandam commodi redundabit ex littera o finali plerumque breviata. Quod quanti momenti sit ad aetatem carminum Latinorum definiendam, ut recte perspiciatur, liceat mihi L. Muelleri verba de hac re vel integra subjicere.

Viri doctissimi, ubi de opusculis, quae Vergilii sub nomine feruntur, disputat, verba sunt talia [pag 42]: „cum sit plerumque incepti satis lubrici ratiocinationibus a re metrica petitis aetatem carminis Latini definire, tamen unum extat documentum sane firmum certumque ad judicandam illam ductum ab o litterae finalis quantitate, quo non sine magno litterarum Latinarum commodo Lachmannus et Hauptius in Homeri Latini et Calpurnii carminibus sunt usi.“ Et Sauppius quidem, quod dicit divam necessitatem excusare id saepius factum esse, nimis sententiae indulsisse videtur. Qui enim credibile statui poterit, solum versificatorem nostrum a lege prosodiaca omnibus pariter probata adeo aberrasse, ut placito tunc quidem temporis perversissimo obtemperaret. Quod fieri potuisse nullo pacto adducor ut credam. Sed in carmine nostro ita res se habet. Nominum quum duodequadragiens corripuerit litteram o finalem, quater non saepius produxit eandem, ut puta v. 25 redditiō, v. 37 desitiō, v. 176 nemō, v. 180 leō.

Accedit, quod pronomen „ambo“ duplici quantitate adhibere placuit ei, v. 59 ambŏ, quod contra ambō v. 144. Verba in o finientia quum duodeviciens legantur, sexiens producitur littera finalis, infringitur duodeciens. Insuper e particulis v. 50 mŏdŏ pyrrhichii, trochaei vim habet vērŏ v. 53, sed ērgō v. 90 spondei instar. Sed videamus quinam fuerit factus progressus breviandae o ab antiquissima inde aetate. Ut taceam de formis talibus, quales sunt „duo cito ego modo“, quae assuetudine quotidiani usus detritae quasi et concisae dactylicis saltem fere semper brevi adhibentur vocali o, antiquissimi ad Vergilium usque quam parci fuerint in hac licentia admittenda, vel inde apparet, non inveniri correpta nomina ac verba in o exeuntia, nisi jambica et ea quidem perpauca, qualia sunt „homo bibo scio volo dabo puto“.

Quae licentia correptionum quum ab Augusti tempore latius succrevisset, sed ut modice ea uterentur Vergilius, Horatius, Tibullus, Propertius, paullo amplius Ovidius, intendere eam

Seneca, Martialis, Iuvenalis, Statius, alii, qui et verborum et nominum formas promiscue nec raro corripuere adverbia velut „ideo illico intro porro sero subito“ ac numeralia ut „ambo octo“. Quarto denique post Chr. n. saeculo vero vulgi usu utique correptam esse o finalem, testis est Diomedes [p. 430 Putschii], ut etiam ridiculus esset, qui eam produceret. Sed videsis de hac re quae amplissimis testimoniis allatis docuerunt Corssenius l. c. I[1], p. 342 sqq.; L. Müller p. 336 sqq.

Jam advertitur animus ad mirum versificatoris nostri placitum, qui vetustissimorum normam secutus litteram quae est s subtraxit in fine vocabulorum in us exeuntium. Duodecim non minus exempla invenimus in vv. 13, 16, 22, 31, 46, 52, 100, 106, 154, 165, 166, 177, qua re apparet quanto opere illi placuerit hoc genus ludibriorum. Extant Ciceronis diserta testimonia de hac re — Orat. 45, 153; 48, 161 — quae perlucide ostendant hanc offensionem poëtas aequales, quos novorum nomine decorat, fugisse in versibus, quum antiquiores promiscue detraherent postremam illam litteram. Quod in altero quos modo attuli locorum subrusticam hanc licentiam jam videri testatur Cicero, inde apparet e vero vulgi usu non evanuisse eam. Quam ob rem non mirum videtur, quod teste Quintiliano [IX, 4, 38] Messalla et Servius Sulpicius s finalem verborum in us exeuntium ne scriptura quidem significare voluerunt. Pariter illud s non scribitur in inscriptionibus diversorum temporum, maxime ultimae imperii Romani aetatis, qua etiam aliae permultae finales jam non pronuntiabantur, quod apertissime Romanicae quas dicunt linguae ostendunt — cfr. Corssen II[1], 108 sqq., I[1], 118 sqq.; Müller p. 344.

Sed poëtarum post Catullum — is enim singulare abjectae s exemplum ultimo omnium carminum versu admiserat — qui carmina composuerunt, nemo sibi indulsit ejusmodi insolentiam exceptis singulis Marii Victorini et Paulini metris. Qua de causa recte conjicias versificem nostrum prava veterum imitatione inductum, quod genus pronuntiationis sermo plebejus ei

praebuit, id in carmen suum transtulisse.

Eodem fere redit quod v. 165 „dictust“ pro „dictus est“ et v. 137 „meritost ultus“ vel quod plus versimilitatis habet „meritos ultust“ pro „merito ultus est“ placuit dicere auctori abjecta vocali e verbi substantivi — cfr. L Müller p. 345.

Nec minus huc pertinet quod truncata s finali et vocali breviata v. 172 „multimodis“ positum invenitur adverbii instar. Sed idem occurrit bis in Frontone et similiter non displicuit Appulejo, Lucretium imitando, dicere „omnimodis“ — cfr. Neue Formenlehre der Lateinischen Sprache II, p. 513.

Quod v. 28 „rellatio“ legitur geminata littera l ad producendam syllabam primam vocula re constantem, similia praeierant Vergilius alii in verbis „reliquiae, religio, religiosus“, coacti dactylici metri necessitate. Ceterum monendum modo dictis paucisque aliis vocabulis exceptis, qualia sunt „reperi repuli recidi retuli recido rettudi“, productae „re“ voculae exempla quae exstant aut ante Catullum aut ultimo tempore provenisse — cfr. L. Müller p. 361 sqq.

Restat ut tertio loco illorum opinionem refellamus, qui a magno numero dictionum vel flexionum antiquiorum causam repetunt, cur carmen nostrum ad Vergilii tempora quam proxime admoveant. Nam argumenta ex historia petita quibus vv. 22, 127, 135—137 nititur Quicheratius ad sententiam fulciendam, quam parvi momenti sint in carmine didactico, jam Haasius recte ostendit.

Itaque de nominibus substantivis et adjectivis haec ferme invenio digna quae memorentur. Exornavit versifex versus suos nominibus nonnullis, quae aut nusquam alibi legantur aut certe nimiae antiquitatis speciem prae se ferant. Prorsus desiderantur in lexicis „iteramen“ [v. 43] et „pugilamen“ [v. 60]. Sed aperte haec non tam antiquitatis suspicionem movent quam temporis inferioris. Etenim quum nomina substantiva in „ia io itas tudo us“ exeuntia, quorum magnus erat numerus apud antiquos, ab Augusti inde aetate magis magisque imminuerentur,

contra auctae sunt haud dubie dactylici metri usu flexiones „men et mentum“ — cfr. L. Müller p. 404.

Differitas [v. 19] quum legatur apud Lucretium IV, 634, ultimis temporibus repetiit idem Arnobius bis — Forcellini.

Dividiae [v. 111] aperte ex imitatione fluxit vetustissimorum, nam nusquam alibi occurrit. Laudant verbum Fulgentius et Nonius e Catone, Attio, Turpilio; praeterea apud Plautum haud raro invenitur — Forcell.

In v. 167 quod Graecanice flectuntur tria nomina propria, ut puta Oebalon, Lycon, Pedason, id omnibus omnium temporum dactylicis communi usu obtinuit. Nec sine certa venia, quoniam ita elisionis durioris offensionem evitabant — cfr. Neue I, p. 121.

Neque offendit gignendi casu „Grajûm“ [v. 165] pro pleniore forma quae est Grajorum positum, praesertim quum semper amarent poëtae in populorum gentiumque nominibus breviores adhibere formas — cfr. Neue I, p. 114.

Privis [v. 85] pro singulis dictum quum ad Horatium Liviumque usque non ita crebro in usu fuisset, tamen non omnino in contemptum abiisse probatur exemplis, Pliniano hist. nat. 8, 46, 71, Gelliano 11, 16, 1 (cfr. etiam Gell. 10, 20, 4). Quod contra apud Appulejum [de deo Socr.] idem valet quod privatum seu carens — Forcell.

Peregri [v. 54]. Hoc quidem nomen adjectivum nusquam reperitur, nisi ultimis temporibus singulis locis Ulpiani, Ausonii, Venantii — Forcell.

Denique dis [v. 85] pro eo quod est dives praeter locum nostrum non invenitur apud dactylicos, nisi apud Sammonicum et Ausonium — L. Müller p. 256.

At de adverbiis minutum illud pote, quod auctor noster adhibet bis [vv. 168 et 180], cum similibus „sat mage“ nullo tempore poëtarum ab usu prorsus fuit alienum, e quibus illud „mage“ dactylicorum in libris non ponitur nisi sequente consona — L. Müller p. 393.

Adusque [v. 11] praepositionis vice collocatum ante Vergilium non erat in usu scriptorum, sed persaepe extat in Appuleji aliorum posteriorum scriptis — Forcell.

Particulam ac [v. 155] ante gutturalem insequentem ponendo ea libertate usus est versificator, quam boni poëtae praeter dictionem „simulac" fugerunt — L. Müller p. 395.

Quod indupetravi [v. 66] dixit versificator, aperte id necessitate versus est factum, veluti eodem modo Iuvenalis, Optatianus, Prudentius, Sidonius „induperator" ad metrum heroicum non apti illius „imperator" vice coacti sunt ponere — L. Müller p 393.

Ad verba ut transeamus, primum advertit nos imperativi forma „contempla" pro „contemplare" [v. 47]. Quum antiquis temporibus permulta verba quae postea ab omnibus adscribuntur deponentibus, formam activam recuperassent, obsequebantur, ut alia, imitatorum servum pecus veterum placitis ab Appulejo imprimis inde. Et hoc etiam in hujus „contemplari" forma activa accidit; exempla enim a Neuio [II, p. 207] allata ostendunt formam activam non adhibitam esse nisi ab antiquissimis et post longam seriem saeculorum ab Appulejo et ter ab Ammiano Marcellino.

Dice pro dic [v. 183]. Similem licentiam Vergilius et Statius [Aen. XI, 463; Theb. XII, 598] „edice" ponendo sibi indulserunt, Catullo „face" pro „fac" adhibente [36, 16] — L. Müller p. 401.

Dixem pro dixissem [v. 85]. Has quidem formas per syncopen ortas etiam posterioribus scriptoribus interdum probari docent exempla amplissima a Corssenio collecta [II¹, 26].

Defit [v. 176] prostat quoque apud Vergilium ecl. 2, 22: „lac mihi non aestate novum, non frigore defit."

Sublimandi verbum [v. 82], quum a Nonio Festoque laudentur loci Enniani et Catoniani, persaepe occurrit apud novissimos ab Appulejo inde, veluti apud Prudentium, Macrobium, Mamertum, Hieronymum — Forcell.

Idem cadit in viandi verbum [v. 156].

Alia quae exstant insolitarum dictionum exempla facile revocari possunt ad imitationem veterum, veluti „dabit damnum“ [v. 32], quod maxime Plautinum est, vel electa sunt ab auctore ut magis significantia, velut „fas abrumpere“ [v. 54], „spoliis — exuviis“ [vv. 134—135], quod minime mirum in opere figuras rhetoricas tractante.

Jam quum ad finem provecta sit disputatio, ut breviter omnia complectamur, primum effecisse videmur Rutilii et Alexandrii Numenii ipsorum vestigiis institisse versificatorem. Deinde ars versuum componendorum quum vel rudissima sit, porro quum saepissime o finalis brevietur, nullo pacto adducor ut credam Augusti temporibus, quum jam Catullum Vergiliumque, elegantissimos poëtas, tulisset aetas, audere potuisse quemquam opus adeo inconditum in lucem edere. Praeterea quum etiam quod ad dicendi genus attinet, nihil obstet, quominus posteriori aetati adscribamus incertum nostrum auctorem, sine ulla dubitatione autumare possumus ante Frontonis Gelliique aetatem non vixisse illum.

Sed acquiescendum est eo, quod non licet artioribus temporum finibus circumscribere qua ille vixerit aetatem. Fortasse proxime ad veritatem accedemus putantes Julio Rufiniano, quem quarti initio saeculi aetatem degisse traditum est, aequalem fuisse anonymum, sed de hac re quaestio et alia quoque, ubi vixerit auctor, in dubio est relinquenda, quoniam nihil momenti in carmine ipso exstet, quo nisi certo tempori vel loco adscribere illum possimus.





